



**BREVIS|| INSTRVCTIO|| AD CORROBORAN-||DOS AC  
IVVANDOS MO-||RITVROS, EOS PRAESERTIM|| qui ob  
flagitia sua, publica Iudi-||cum sententia morti ad-||dicti  
sunt:||**

**Isella, Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1588**

**VD16 I 344**

Articulus III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60044)

IVVANDOS MORIENTES. 37

redamandum. Amor enim optimum  
& efficacissimum mediū est ad amo-  
rem excitandum.

*Articulus III.*

Persuaderi quoque potest afflicto,  
non iam tempus esse, vt vel in hunc,  
vel in illum, qui fortè mortis illius au-  
ctor, & causa esse possit oculos conij-  
ciat: sed mentem ad Deum eleuet, qui  
æterna sua prouidentia gubernat, &  
moderatur vniuersa: sine cuius volun-  
tate ne capillus capitis nostri decedit.  
Ad hunc mentem suam eleuabat S.  
Iob, ideoque non conquestus est de  
aliquo homine, sed dixit; *Sicut Domino* Iob, 10  
*placuit, ita factum est mihi: sit nomen Do-*  
*mini benedictum;* omniaq; ferebat cum  
patientia. In hūc respicere debet affli-  
ctus, & dicere; Domine fiat voluntas  
tua. Sciens autem hanc esse volunta-  
tem Dei; certus sit, vtile sibi esse, vt hec  
ita fiant, cum ab eo sic disponuntur,  
à quo amatur plurimū. Amor ma-  
tris nullius est momenti, si cum amo-  
re diuino erga nos conferatur: *Num-* Esa. 49.  
*quid obliuisci potest,* inquit ipse, *mulier*  
*infantem suum, vt non misereatur filio vte-*  
*ri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non*  
*obliuiscar tui.* Si mater imperfectioni-  
bus

## 38 INSTRUCTIO AD

bus plena nō potest rem noxiam dare filio suo, quomodo poterit Dominus infinitè bonus dare quicquam filijs suis, nisi quod optimum est? Mater aut non vult, aut non potest, aut non scit dare filio quod est optimū: Dominus autem & vult, & potest, & nouit dare id, quod nobis maximè expedit. Vult, quia nos amauit & eterna cum charitate, priusquam fuimus; potest, quia est summa potentia; & nouit, quia est infallibilis sapiētia. Quare nobis nil aliud dicendum est, quā; *Domine fiat voluntas tua*. Sic Redemptor noster nos docuit tam verbis, quā; exemplis in transitu suo dicens ad Patrem; *Non sicut ego volo, sed sicut tu. Non mea voluntas, sed tua fiat*. Si filius Dei, Sapiētia Patris, Sanctus Sanctorū hoc modo sese resignauit ad manus Dei, quomodo poterit sese nō tradere in man<sup>9</sup> Dei homo miser, plen<sup>9</sup> ignorantia, in peccatis cōceptus & enutrit<sup>9</sup>? Aequum igitur omninò est, vt dicamus; *Domine fiat voluntas tua*: quæ sola est iusta, & sancta, quæque nos ex intimis amat. De eo namque amore certi & securi sumus. Hic referri possunt aliquot signa & argumenta diuini

Matth. 26.  
Luc. 22.

ui  
ui  
fu  
ui  
ti  
&  
fi  
qu  
  
de  
fa  
ri  
pa  
ol  
fa  
m  
n  
fu  
ri  
qu  
g  
te  
h  
a  
m  
o  
ff  
n

IVVANDOS MORIENTES. 39

uini erga nos amoris ; vt quod creauit nos ad imaginem & similitudinē suā; quod omnia creauit, vt nobis seruirent; quod capaces nos suę fecit gratię, quod filiū suum voluit incarnari, & mori, vt nos redimeret. Hęc, aliaq; signa possunt exaggerari, & adiungi quædam eiusdē amoris testimonia.

*Articulus IIII.*

Vt autem melius captiuo persuadeas, hanc mortem illi vtilem esse & salutarem; atque expedire, vt sic moriatur, potest Consolator ad magis particularia descendere; ponens illi ob oculos, hanc mortem adeò præuisam, & præmeditatam ei offerre commoditatem melius se per confessionem præparandi, lachrymis peccata sua deflendi, & Sanctissimum Eucharistię Sacramētum accipiendi. Quin, quod præsentī manens animo, integrisque sensibus, vsque ad finem potest exhortationes, & bona consilia hominum deuotorum cum fructu audire: potest conscientię suę in omnibus scrupulis satisfacere; potest omnibus tētationibus Dēmonis resistere; potest deniq; siue ab alijs admonitus, siue propria industria facilius perspi-

Mortē hanc  
præuisam  
multa secū  
adferre cō-  
moda.